

Godefridus, Eius y gram  
malus



1722

Go. 33.  
Q.





54.

342.

33. a.



54. 70  
79  
EIKΑΣ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΥΜ,

342.  
Virtuti,  
Honoris,  
Felicitati,

*Serenissimi potentissimique Domini, Suecorum,  
Gothorum, Vandalorum Regis,*

GUSTAVI  
ADOLPHI,

Principis pii, justi, clementis,  
ideoque

VICTORIOSI

*Affertoris verae Religionis,  
Vindicis Libertatis patriae,*

Bonæ Scævæ,  
Prosperi ominis ergo

*Scripta & dicata,*

à

IOHANNE LVDOVICO GODEFRIDO,

o(28)

*Ultimo mense*

Anni M DC XXXI.

*Antiqua Buchsch.*  
*107 70*  
*1 x 1. 3*



EIKAZ

EPIGRAMMATVM

Virtuti, Honori, Felicitati,  
Serenissimi potentissimiq; Domini, SACROSANCTISSIMI  
Gottoruni, Vandalorum Regis,

GUSTAVI ADOLPHI

Principis iusti & victoriosi, iudicis liber-

342



*Handwritten signature*

In magister R. ...  
Virgit Arctis ...  
Quemque colla ...  
Gottoruni

Quis & imperium gladius ...  
Claudic & epoto ...  
Magnus Hyperborea ...  
Ad tua, Rhene patet ...  
Vt generosa levet ...  
Vtque bis constet ...  
Redditur unumque decus ...  
Et facit hoc ...  
Iustus hanc ...  
Victor in Eois, Victor in Hesperis.

A



# EIKΑΣ

EPIGRAMMATVM,

Virtuti, Honori, Felicitati,

*Serenissimi potentissimique Domini, Suecorum,  
Gothorum, Vandalorum Regis,*

## GUSTAVI ADOLPHI

Principis iusti & victoriosi, vindicis liber-  
tatis Patriæ, dicata.

I.

*In imaginem Regis Triumphantis.*

**Q**ui regit Arctoïis subiecta Trionibus arva,  
Quemque colit Suecus, Wandalus atque Gothus:  
Cuius & imperium glaciatus frigore Pontus  
Claudit, & epoto Sarmata pastus equo:  
Magnus Hyperboreis veniens à montibus Heros,  
Ad tua, Rhene pater, littora victor adest:  
Vt generosa levet suppressa Tyrannide colla,  
Vtque piis constet libera **RELLIGIO**.  
Reddit vtrumque decus patriæ *Gustavus Adolphus,*  
Et facit hoc *pendev* **REX** *αγαθαμοιρος.*  
Iustius haud quisquam **TE**, Rex Generose, Triumphat,  
Victor in Eois, Victor in Hesperiiis.

A 2

In

In quatuor Icones, Arcui Triumphali  
Iannexas.

**P**erseus Andromedam, REX SVECVS Religionem  
Eximit è vinculis, & fera monstra domat.

**A**mphitryoniades revocatum Thesea ab Orco  
Restituit, laudem hanc REX Aquilonis habet.

**P**recipites Thrasylbulus agit triginta Tyrannos,  
Et patriam iniustis oppressam vindicat armis.

V.

**D**eiicit Harminius Varumque Aquilasque Cheruscus,  
Germanosque suos in Libertate reponit.

VI.

Squalida Germaniæ facies ante adventum  
Regis Sueci.

**E**fpera barbaries, dominandi se va cupido,  
Vis iniusta, doli, multiplicesq; strophæ:  
Mille peculatus, periuria, furta, rapinae,  
Et nisi mox dederis, tormina, vincla, cruces:  
At supra puellarum & raptus, ubi deficit ætas,  
Tristis & in lethum precipitata Venus:  
Mors ubi lusus erat, suspendia crebra cacinnus,  
Et nihil humano sanguine vile magis.  
Libertas & Religio calcata gemebat,  
Regnabatque redux cæca superstitio.  
Adde istis, EDICTA graues, & ædantia pœnas,  
Pauperiem, exilium, sanguineamque necem.

Eiicit

Obruta



5  
Obruta tam fœdis flebat Germania Monstris,  
Servitūque iugo iam sua colla dabat.  
Audiit omnipotens suspiria nostra IEHOVA,  
Irrita nec miserūm vota precesque cadunt:  
Nam vocat à Borea Regem, quem robore sancti  
Flaminis, & summi munit amore DEI,  
Fatalesque manus victricibus instruit armis  
Et mira intrepidum prosperitate beat.  
Alter hic ALCIDES tam diris pestibus orbem  
Germanum, & certo liberat exitio.  
Herculeæ laudes HEROI cedite SVECO:  
Rex hic noster erit verus ALEXICACVS.

VII.

De Gustavo Primo Suecorum Rege.

**R**egnandi ardebat Danus Buisiris amore,  
Imperii Suecos mole Gothosque premens:  
Urbibus exitium, populo tormenta minatus,  
In proceres regni carcere & ense furens,  
Sævitiæ flammæ addebat Episcopus acres,  
Improbis, & patriæ proditor ipse suæ.  
Regi nulla fides: Urbs prima cruore madebat,  
Territa suppliciis cætera turba pavet.  
Non tulit hanc labem gentis GUSTAVVS ERICI  
FILIVS, & vindex mox patriæ ille necis.  
Compeditibus ruptis, vigilans, & carcere fracto  
Exiit, atque animo magnum agit facinus.  
Ergo viros fortes & libertatis avitæ,  
Et decoris memores ultor ad arma vocat.

Eiicit

Eiicit hinc totis Suecorum finibus hostem,  
 Danorumque iugo libera colla levat.  
**GVSTAVVS** meruit tanta virtute coronam,  
 At Nero Danorum vinctus & exui obit.  
 Sic oppressores pereant & Tyranni.  
 Imprecor hoc hosti, patria terra, tuo.

**Gustavus Secundus Suecorum Rex**

**N**ascuntur fortes & fortibus & generosis,  
 Ex aquilis gigni nulla columba potest.  
 Iste Tuus, Gustave, nepos **GVSTAVVS ADOLPHVS**  
 Efficit, ut tua sint facta minora suis.  
 Tu contentus eras patria pepulisse Tyrannum,  
 Hancque peregrino surripuisse iugo.  
**ALTER HIC** immenso nixu, mentisque calore,  
 Ocia tua fugit, certa pericla legit.  
 Iam prope Libertas Germana in agone iacebat,  
 Querebatque locum Religio ipsa foris.  
 Audiit & doluit **GVSTAVI** pectus **ADOLPHI**,  
 Sorte propinquorum, Theutoniaeque Ducum.  
 Nec mora: restituit pulsos extremaque passos,  
 Et cladem regerit clade, necemque nece.  
 Quanto est Suecorum Regno Germania maior,  
 Tanto maior erit fama, **SECVNDE**, tua.

X. Nuv

Et hinc hinc totis succorum animibus hostem  
Danorumque ingo libera colla levare  
G V S T A V V S M A R T I A R E G I S A N T O N I A E C O L O N I A E

IX.  
De praelio Lipsensi

**S**Truxerat hinc acies Antæus Wallo pedestres,  
Queis equite armato firmat vtrumque latus,  
Hinc duplices Aquilæ veterana per agmina pugnam  
Vincere consuetos prospere inire iubent.  
Hisce novo opposuit Princeps se milite Saxo,  
Miscuit atque ferox Marte furente manus.  
Tunc patuit Legio quantam veterana Tyrone  
Præstet: Saxonici terga dedere fugæ.  
Adfuit extemplo S V E C I vis Martia R E G I S  
Suppetias trepidis auxiliumque ferens.  
Conseruere manus exercitus alter & alter,  
Viribus, arte, animis, consilioque pares,  
Vulnera vulneribus mutantur, agit que virum vir  
Et fluvio humani sanguinis arva madent.  
Invida tunc dubitare diu Fortuna putata est,  
Sed vicit melior iudice causa D E O.  
Diffugere duces, cæsa occubuerunt cohortes  
Cæsaris, at S V E C O S gloria lausque manet.  
Acre genus pugnae, fateor, victoria multo  
Parta cruore, minor non ideo illa fuit,  
Namque quid Æmonius nunc laudis haberet Achilles,  
Hector si timidus sique fuisset iners?  
Imbelles alii vincant & laudis egentes:  
R E X bellatorem vicit eumque S E N E M.

X. Nun:

## Nunciū victoriae Suecicae.

**T** Illius est acie victus, camposque patentes  
 Liquit, Et à Sueco Rege fugatus ab it.  
 Quid causa est? mirantur enim. Dum pugnat v-  
 terque,  
 Invocat ille homines, invocat iste Deum.

## XI.

## De eadem victoria.

**Q** Vi vario multos veterator vicerat astu,  
 Immemor armorum Tillius ecce fugit.  
 Rex Iuvenis Boreæ veniens à partibus ultor,  
 Vicit eum pugna, præcipitemq; dedit.  
 Tillius extinctos homines in vota ciebat,  
 Rex Suecus verum vivificumque DEVM.  
 Miretur nunc rafa cohors Idola colendo,  
 Si Iuveni audierit succubuisse Senem.

## XII.

## In Esauitas fugientes.

**Φ** Εύγετε και δάειδες, ΛΕΟ Suecicus υμμε διώκει,  
 Φεύγετε και κόλυκοι, venit α' λεξι' αικος.

## In eosdem Scazon.

Quis hoc queat perferre, quis pati possit,  
 Quod clericorum rasa natio magnos  
 Summoque natos Principes loco, affligit?  
 At quos decebat simplices & expertes  
 Fastusque mundanaque gloria, castas  
 Ad regna celi tollere indidem mentes,  
 Sua & fovere pauperes facultate,  
 Illos videmus perditos & effrenes,  
 Eufcos, trahentes Syrma triste, pullatos,  
 Quorumque de natalibus parum constat,  
 Inhiare patrimonii Monarcharum.  
 Hinc fraudulentis suasionibus Reges,  
 Quos ulcerato pectore esse noverunt,  
 In innocentes bella sumere impellunt.  
 Incendiis grex ille miscet Europam,  
 Tollitque priscum ius, & arma fraternis  
 Committit armis, ut ruamus in mortes.  
 Bis sex per annos hæc Enyo Germanos  
 Collisit, ut periclitata Libertas,  
 Verique cultus ut DEI vacillarit.

B

Sed

Sed ô Supremi Numinis favore ma Imum,  
 Quod REX SVECUS has fugavit HARPYIAS,  
 Atroque Plutoni remisit atratos  
 Ibi minentur Cerbero & Patri Diti  
 Proscriptionem, carcerem atque egestatem.

XIV.

GUSTAVVS

AUGUSTUS.

SI bene de nobis meritos Regesque Ducesq;  
 Prosequimur votis omnibusque bonis,  
 Quid Tibi REX, patriæ Lux præstantissima  
 nostræ

Optemus, quæ TE libera facta colit?  
 Ut sis, ut maneatq; diu, GUSTAVE, quod inquit,  
 Nominis Augusti, REX, anagramma Tui.

XV.

GVSTAVVS

GRamineam Faber tribuit Romana corollam  
 Curia, quod Pænum fregerat Hannibalem.  
 Nautica ferta tibi donata fuere Duilli,  
 Classe Mari in Siculo victus ut Afer erat.  
 Murali donamus eum quicumque corolla  
 Insilit in murum primis, eumque capiat.

Mille-

Servan-

*Servanti civem querna, e Jovis arbore plexa,  
Imposita est, iure hinc Civica nomen habet.  
Victor at oppositu qui Marte fugaverit hostem,  
Huic victrice teget Laurus odor a caput.  
Elige REX quamcunq, voles Gustave, corollam,  
Nautica, Muralis, Civica, Laurus erit.  
Omnia qui meruit nihil huic dat, qui dabit unū,  
Cum mereas omnes, non valet una dari.  
Sume Triumphalem, victricia ferta, coronam,  
Vestiat in victas Laurea pulcra comas.  
Nos Tibi nectemus, si per TE pace fruamur,  
Lilia, REX, violas, purpureasque rosas.*

**XVI.**

*Vindicia Magdeburgenses.  
O Vrbs, ocelle, Magdeburga, Saxonum,  
Nostræque flos Germaniæ,  
Vrbs Liberarum Civitatum gloria,  
Donec sinebant coelites:  
Quæ nunc ruina, triste bustum es, & cinis,  
Et Lachrymarum ergastulum,  
Deserta sive prodita à Sororibus  
Et civium discordia,*

B

2

Mille-

Millena quorum volvit Albis corpora  
 Rubens cruore innoxio.  
 Exurge nunc frontemq; mœsta porrige,  
 Si quisquam in urnis sensus est,  
 Namq; ultor à septem venit trionibus,  
 Tuis dolens iniuriis,  
 Rex bellicosus, fortis, acer, strenuus,  
 Hostis Tyrannorum impiger,  
 Simulq; justus, innocens, amabilis,  
 Vindex paterque pauperum.  
 Hic efferos canes, lupos, & pardales,  
 Tuoque sanguine ebrios,  
 Pastos tuorum liberorum carnibus  
 Iuxta cecidit LIPSIAM.  
 Et strage longe dissipavit maxima,  
 Qualis nec est ævo patrum  
 Audita, nec priorum avorum seculis.  
 Vides rubere sanguine  
 Campos, & infinita strata funera  
 Corvos canesque pascere?  
 Hæc justa, Magdeburga, Manibus tuis,  
 Gratasque solvit victimas.

HEROS



HEROS SVECVS, inclytus victoriis,

Et sic parentavit tibi.

XVII.

Rex contemptor gloriae.

Tanta Tibi Rex est GUSTAVE modestia  
tantus

Ore verecundo sedit, ADOLPHE, pudor;

Vt Tua facta, licet cedro dignissima, nolis

Laudibus immodicis cantus in astra vehimus

Hinc mea Musa timet nimia praeconia linguae

Cum, REX, ipsa Tuum Fama loquatur opus

Optavere alii, multique emere Poetas,

Illorum ut canerent acta, tacenda magis.

Ipsa sibi virtus precium est. Contemnere laudes

Gloria vel quo vis carmine maior erit.

XVIII.

In tesseram & celesma Tillianorum, virgo

Theotocos loquitur.

Quid mihi vobiscum est crudelis turba la-  
tronum,

Vivere quæ raptis quæq; oruore solet,

B

3

Andro-

HEROS

Androphagi, Lamia, Læstrygones atque Cyclopes,  
 Progenies Oaci, Canibalesque ferissimas  
 In cædes quoties animos gladiosque paratis,  
 Ore cruentato SANTA MARIA VOCOR.  
 Scilicet vt faveam sine fine furentibus vr̄sis,  
 Præ quibus est mitis Tygris, Hyæna, Lupus  
 Tu quoq; dire Senex, non est muliebri quod  
 optas,  
 Virgineos oculos an laniena iuuet?  
 Me nisi Bellonam, vel fingis inepte Camillam  
 Pallada vel natam de capite esse Iovis.  
 Mater ego, atque hominum semper miserata  
 labores  
 Dicor, & à vobis in fera bella vocor,  
 Hoc cupis vt faciam, quod tu facis improbus,  
 idque  
 Quod faciunt Furia Cerberæque Deæ.  
 Hæc Herodiadem saltatricemque Salomen  
 Delectent, oculos pascere cæde viram  
 Quid facitis stolidi? levis hæc iniuria non est,  
 Quod Virgo & Clemens Mater ad arma  
 trahor. Exoria-

Exoriare aliquis Boreæ de partibus ultor,  
Assere Maternum Virgineumque decus.

Barbaricaq; acies, O SANTA MARIA boantes,  
Fustibus, ense, manu, percute, cæde, neca.

XIX.

Missio Bavaro-Iberorum.

**H**æc æternus: Et satis est. Miseros torsistis agrestes  
Semihomines Boii, barbaræ turba diu.

Tu quoque ruricolæ deglubere suetus Ibere,  
Fustibus Et patrio fune peruste latus.

Nunc properate fugam, Boiorum crassa propago,  
Maurorum soboles, accelerate fugam.

Nam venti à rigidis spirant Aquilonibus acres,  
Qui periment Austros, e gelidosque Notos.

Aufugite hinc, ne vos penetrabile frigus adurat,  
Frigora sunt Porcis sunt inimica Capris.

Ite domos, ut quisque potest ad tecta paterna,  
Danubium ille bibat, sed bibat iste Tagum.

Ad glandes, moneo, Et sylvestria pomæ redite.  
Nostratæ Bromium nemo deinde bibet.

At vos hinc alii sitientes ibitis Afros,  
Maurisci, ut tepidas utre bibatis aquas.

EXORIS

Vina

*Vina bibet meritus victor Rhenensia SVECVS,  
Frigida de victam sed levet unda sitim.*

XX.

*Vigesimus Psalmus summa votorum.*

Quæ pro TE faciam, REX clemētissime, vota,  
(Offero nam pro TE vota precesq; DEO)  
Accipe: Iessæi Psaltis vigesima quicquid  
Oda canit: brevius dicere non potui.  
Hæc si præstiteris nostro DEVS optime, Regi,  
Omnia præstiteris quæ petiere pii.

FINIS.

9952

*mm*

Nd 832

8

ULB Halle

3


006 699 43X



1077

1001






[Blank paper label]

N  
8





54.  
73  
342.

EIKΑΣ  
EPIGRAMMATVM,  
Virtuti,  
Honoribus,  
Felicitati,

*Serenissimæ potentissimique Domini, Suecorum,  
Gothorum, Vandalorum Regis,*

GUSTAVI  
ADOLPHI,

Principis pii, iusti, clementis,  
ideoque

VICTORIOSI

*Affertoris veræ Religionis,  
Vindicis Libertatis patriæ,*

Bonæ Scævæ,  
Prosperi ominis ergo

*Scripta & dicata,*

à

IOHANNE LVDOVICO GODEFRIDO,

✠o✠

*Ultimo mense*

Anni M DC XXXI.

33. a.

79  
Bücherat  
147. 75  
1. 3

